

1572

torum fuga morteque exhaustam, omnibus rebus egentem, recentia auxilia expectantem detineri. His nuntiis erecti cunctorum ad minime dubiam victoriam animi, summa Dei ope factum, ut barbari, quos præda ac rapinis exsaturatos, Byzantium concessuros credebatur, adhuc iis in locis, veluti certa foederatorum præda, morarentur. Sed cum maxime celeritate opus foret, classe ad Antipaxon, reflante leniter vento, subsistente, paulatim Hispanorum ardor tepescere, ac fere restingui coepit: nuntii fidem elevare; minime credendum, Uluzzalium, foederatorum conjunctione cognita, diutius iis in locis moraturum, atque in certaminis aleam, qui antea pugnam cum minori numero detrectasset, descensurum: antequam ulterius progredierentur, quidnam consilii, eo ad Methonem, ac Pilum non invento, capiendum esset, decerni oportere: jam senescere autumnum, in hyemem anni tempus prolabi; majora moliri longum, ac difficile; minora aggredi indecorum. Ex his licet de reversione tantum cogitare Hispanos haud difficulter pernosceretur; tamen Joannis Austriaci militari gloria succensus animus minime his commoveri vocibus, sed ingens desiderium vultu, verbis invadendi hostis præferre videbatur.

Itaque cum prius per Viscardum fretum pertransire decrevisset, allatis de classe hostium nuntiis, breviori itinere a læva Cephalene & Zacyntho relictis, Strophades scopulos prætervehi, proculque ab hostico iter intendere statuunt. Decimo octavo kalend. octobris ad Strophades perveniunt. Inde summa insequentis diei luce Oenufam pergere statuunt, ne turcicæ triremes, quæ, ut diximus, partim in Pilo, partim Methone erant, conjungerentur, atque, si se occasio daret, supremo certamine dimicarent. Verum id quoque consilium fatalis cunctatio pervertit: serius, quam oportuerat, coepta navigatio, neque noctu ad iter celeriter conficiendum velificatum; remorum contentione tantummodo laboratum, ut inalbescente cælo, decem a Pilo passuum millibus classis esset, neque Oenufam teneret. Quamobrem tuto triremes octoginta, quæ ad Navarinum constiterant, Methone cum reliquis conjungere hostes potuere. Ea re a nostris cognita, statim densari triremes, ad pugnam cuncta parari jubent.